

S A N C T A  
QUATUOR EVANGELIA  
IN  
PROCESSIONE FESTI  
CORPORIS CHRISTI  
DECANTANDA

UNA CUM  
VERSICULIS, ORATIONIBUS ET BENEDICTIONIBUS.

J U X T A  
R I T U A L E  
ARCHIDIOECESIOS VIENNENSIS.



V I E N N A E ,  
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.  
MDCCCXXXV.

**P**ro Processione in Festo Corporis Christi omnes viæ et plateæ, per quas Venerabile Sacramentum portabitur, sint munitæ, et ornatae arboribus, frondibus, floribus, gramine, aulæis, aliisque ornamentis.

In quatuor distinctis locis, versus quatuor mundi plagas, Orientem, Occidentem, Meridiem et Septentrionem respicientibus erecta sint quatuor altaria ex ligno, cum umbellis seu tectis pulchre ac decenter ornata, et corporalibus mundis strata, super quibus collocari possit Ostensorium, dum quatuor Evangeliorum initia cantantur.

Deputentur principaliores aliquot viri pro portanda umbella, sub qua Sacerdos cum Venerabili Sacramento processionaliter ire debet.

Indui possunt aliquot puerorum paria, ad formam Angelorum cum sertis in capite, quorum aliqui canistris deferant folia rosarum versus Venerabile Sacramentum quandoque in Processione spargenda: alii cymbala portent.

Quatuor, vel duo saltem Diaconi parati cantaturi Evangelia.

His tempestive paratis Officiator indutus pluviali albi coloris stans in supremo gradu altaris, imponat incensum, nec benedicat, dein descendens flectat in infimo gradu, et incenset Sacramentum, postea accepto circa collum velo ascendat, et sumto

de manibus Diaconi Ostensorio ad populum versus cantet:

### PANGE LINGUA GLORIOSI.

**P**rosequente choro hymnum, et data populo cum Venerabili Sacramento benedictione nihil dicendo, Officiator caute admodum, et reverenter procedat, nec vagetur oculis inter eundem, nec nimium properet, sed pietatem et gravitatem quandam præferat, donec veniens ad primum altare Sanctissimum super substratum corporale deponat, et genuflexus adoret.

Deinde incensum imponat, et Sanctissimum incenset.

Postea unus ex Diaconis, vel Sacerdotibus accedat, et ponat librum Evangeliorum supra altare, et genuflexus dicat: Munda cor meum etc. dein accepto libro de altari illum ambabus manibus ante pectus tenens, benedictionem flexis genibus ab Officiatore petat, dicens:

Jube Domne benedicere.

Ad quem Officiator:

**D**ominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut digne pronunties Evangelium ejus. Pax tecum

Diaconus: Et cum spiritu tuo.

Deinde Diaconus junctis ante pectus manibus incipiat:

# E V A N G E L I U M I.

---

Ÿ. Dóminus vobíscum.

Chorus respondeat:

R. Et cum spírítu tuo.

Diaconus signans librum et seipsum  
cantet:

 Inítium sancti Evangéllii secúndum Matthæum.

Chorus:

Glória tibi Dómine.

Mox incenset librum triplici ductu,  
et prosequatur:

**L**iber generatiónis Jesu Christi Fílii David, Fílii Abraham. Abraham genuit Isaac: Isaac autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron: Esron autem genuit Aram: Aram autem genuit Amínadab: Amínadab autem genuit Naáson: Naáson autem genuit Salomon: Salmon autem genuit Booz de Raab: Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse: Jesse autem genuit David Regem. David autem Rex genuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uriæ. Sálomon autem genuit Róboam: Róboam autem genuit Abiã: Abiã autem genuit Asa: Asa autem genuit Jósaphat: Jósaphat autem genuit Joram: Joram autem genuit Oziã: Oziã autem genuit Jóathan: Jóathan autem genuit Achaz: Achaz autem genuit Ezechiam: Ezechias autem genuit Manássen: Manáesses autem genuit Amon: Amon autem genuit Josiã: Josiã autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratióne Babylónis Jechonias genuit Saláthiel: Saláthiel autem genuit Zoróbabel: Zoróbabel autem genuit Abiud: Abiud autem genuit Eliacim: Eliacim autem genuit Azor: Azor autem genuit Sadoc: Sadoc autem genuit Achim: Achim autem genuit Eliud: Eliud autem genuit Eleázar: Eleázar autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Joseph virum **MARIÆ**, de qua natus est **JESUS**, qui vocátur **CHRISTUS**.

Finito Evangelio textus decantatus Officiatori osculandus exhibeatur, quem osculetur dicens:

Per istos sermões sancti Evangelii, et intercessiõnem sancti Evangelistæ Matthæi indulgeat nobis Dõminus noster Jesus Christus univèrsa delicta nostra. Amen.

Tunc omnes genuflectant, et cantata prius a choro motteta, ubi moris est, dicat Officiator:

Ÿ. Dõmine non secúndum peccáta nostra fácias nobis.

Chorus:

R. Neque secúndum iniquitátes nostras retribuas nobis.

Oremus.

**D**eus, qui culpa offénderis, et pœniténtia placáris, preces pópuli tui supplicántis propítius réspice, et flagélla tuæ iracúndiæ, quae pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Christum Dõminum nostrum.

R. Amen.

Post haec Officiator stans incensum imponat, dein genuflexus Sacramentum incenset, illudque postea a Diacono sibi porrectum in manus apprehendat, et cantet:

### B E N E D I C T I O.

Ÿ. Sit nomen Dõmini benedíctũ.

R. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

V. Adjutórium nostrum in nómine Dõmini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

Deinde vertat se ad populum et formans cum sanctissimo Sacramento unicum signum crucis simul cãtet:

**B**ENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS PATRIS, ET FILII, ✠ ET SPIRITUS SANCTI DESCENDAT SUPER VOS, LOCUM ISTUM, ET FRUGES TEERAE, ET MANEAT SEMPER.

Chorus: Amen.

Vel, ubi consuetudo viget, potest cantari:

**B**ENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS PATRIS, ET FILII, ✠ ET SPIRITUS SANCTI DESCENDAT SUPER IMPERATOREM NOSTRUM N. LOCUM ISTUM, FRUGES TERRAE, ET SUPER NOS OMNES, ET MANEAT SEMPER.

Chorus: Amen.


Deinde continuante Choro hymnum, procedatur ad secundum altare, ubi, omnibus ut supra observatis, cantet Diaconus:

## E V A N G E L I U M II.

---

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

 Inítium sancti Evangéllii secúndum Marcum.

Chorus:

Glória tibi Dómine.

**I**nítium Evangéllii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaíá Prophéta: Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ejus. Fuit Joánnes in desérto baptízans, et prædicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. Et egrediebátur ad eum omnis Judææ régio, et Jerosolymítæ univérsi, et baptizábantur ab illo in Jordánis flúmine, confiténtes peccáta sua. Et erat Joánnes vestítus pilis camelórum, et zona pellicea circa lumbos ejus, et locústas, et mel silvéstre edébat. Et prædicábat dicens: Véniet fórtior me post me, cujus non sum dignus procumbens sólvete corrígiam calcea-

mentórum ejus. Ego baptizávi vos aqua, ille vero baptizábit vos Spírítu sancto.

Hoc finito Officiator librum Evangeliorum deosculans dicat:

Per istos sermónes sancti Evangéllii, et intercessiónem sancti Evangelístæ Marci indulgeat nobis Dóminus noster Jesus Christus univérsa delícta nostra. Amen.

Deinde cãtetur a choro antiphona:

Da pacem Dómine in diébus nostris, quia non est álius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

Post hæc Officiator:

V. Fiat pax in virtúte tua.

R. Et abundántia in túrribus tuis.

Oremus.

**D**eus, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Tunc peractis supra dictis datur benedictio:

## B E N E D I C T I O.

Ÿ. Sit nomen Dómini benedíctū.

R. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ÿ. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

**B**ENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS PATRIS, ET FILII, ✠ ET SPIRITUS SANCTI DESCENDAT SUPER VOS, LOCUM ISTUM, ET FRUGES TERRAE, ET MANEAT SEMPER.

Chorus: Amen.

Vel, ubi viget consuetudo, potest cantari:

**B**ENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS PATRIS, ET FILII, ✠ ET SPIRITUS SANCTI DESCENDAT SUPER IMPERATOREM NOSTRUM N. LOCUM ISTUM, FRUGES TERRAE, ET SUPER NOS OMNES, ET MANEAT SEMPER.


R. Amen.

Finita Benedictione procedatur ad tertium altare, ubi, observatis supra dictis, Diaconus cantet:

## E V A N G E L I U M III

Ÿ. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

 Inítium sancti Evangéllii secúndum Lucam.

Chorus:

Glória tibi Dómine.

**F**uit in diébus Heródis, Regis Judææ, Sacérdos quidam nómine Zacharías, de vice Abía; et uxor illius de filiábus Aaron, et nomen ejus Elisabéth. Erant autem justí ambo ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis, et justificatióibus Dómini sine

queréla, et non erat illis filius, eo quod esset Elisabéth stérilis, et ambo processíssent in diébus suis. Factum est autem, cum Sacerdótio fungerétur Zacharías in órdine vicis suæ ante Deum, secúndum consuetúdinem Sacerdótii sorte éxiit, ut incensum póneret, ingræssus in templum Dómini: et omnis multitúdo pópuli erat orans foris hora incénsi. Appáruit autem illi Angelus Dómini, stans a dextris altáris incénsi. Et Zacharías turbátus est videns; et timor irrúit super eum. Ait autem ad illum

Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem: et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in nativitate ejus gauderunt. Erit enim magnus coram Domino: et vinum et siceram non bibit: et Spiritu sancto repleretur adhuc ex utero matris suae: et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae: ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parere Domino plebem perfectam.

Finito Evangelio Officiator osculando librum dicat:

Per istos sermones sancti Evangelii, et per intercessionem sancti Evangelistae Lucae indulgeat nobis Dominus noster Jesus Christus universa delicta nostra. Amen.

Antiphona post Evangelium ad placitum. Deinde dicat Officiator:

V. Dominus dabit benignitatem.

R. Et terra dabit fructum suum.

Cremus.

Clemenciam tuam, omnipotens Deus, suppliciter deprecamur, ut benedicere, visitare, et irrigare digneris fruges et fines servorum tuo-

rum, noxias tempestates amoveas, inundantiam coerceas imbrum, spiritales repellas nequitas, aërem salubrem indulgeas, ab omni nos inimicorum infestatione in pace defendas, quos corpore, et sanguine Filii tui a morte perpetua redemisti. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Postea peractis supra dictis datur benedictio:

### BENEDICTIO.

V. Sit nomen Domini benedictum.

R. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

**BENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI DESCENDAT SUPER VOS, LOCUM ISTUM, ET FRUGES TERRAE, ET MANEAT SEMPER.**

Chorus: Amen.

Vel, ubi viget consuetudo, potest cantari:

**B**ENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS PATRIS, ET FILII, ✠ ET SPIRITUS SANCTI DESCENDAT SUPER IMPERATOREM NOSTRUM N. LOCUM ISTUM, FRUGES TERRAE, ET SUPER NOS OMNES, ET MANEAT SEMPER.

R. Amen.

Data benedictione procedatur ad quartum altare, ubi, observatis supra dictis, cantetur:

## E V A N G E L I U M IV.

Ψ. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

 Inítium sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Chorus:

Glória tibi Dómine.

**I**n princípío erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípío apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhiberet de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhi-

béret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his, qui credunt in nómine ejus. Qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. (Hic genuflectitur.) Et VERBUM CARO FACTUM EST, et habitávit in nobis. Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi unigéniti a patre, plenum grátiæ et veritátis.

Finito Evangelio Officiator osculando librum dicat:

Per istos sermónes sancti Evangélii, et per intercessiónem sancti



Evangelistæ Joánnis indúlgeat nobis Dóminus noster Jesus Christus univérsa delicta nostra. Amen.

Cantentur motteta ad placitum, deinde Officiator:

V. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam.

R. Et salutáre tuum da nobis.

Oremus.

**P**arce, Dómine, parce pópulo tuo, et nullis nos patiáris adversitátibus, bellis, morbis, tempestátibus ac perículis fatigári, quos pretioso Filii tui Dómini nostri Jesu Christi córpore et sángine redemísti. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

R. Amen.

### B E N E D I C T I O.

V. Sit nomen Dómini benedíctū.

R. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cœlum et terram.

**B**ENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS PATRIS, ET FILII, ✠ ET SPIRITUS SANCTI DESCENDAT SUPER VOS, LOCUM ISTUM, ET FRUGES TERRAE, ET MANEAT SEMPER.

Chorus: Amen.

Vel, ubi viget consuetudo, potest cantari:

**B**ENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS PATRIS, ET FILII, ✠ ET SPIRITUS SANCTI DESCENDAT SUPER IMPERATOREM NOSTRUM N. LOCUM ISTUM, FRUGES TERRAE, ET SUPER NOS OMNES, ET MANEAT SEMPER.

R. Amen.

Data benedictione processio ad Ecclesiam reducatur, ubi Officiator cum Sacramento supremum altaris gradum ascendat, illudque super corporale collocatum incenset; deinde cum eodem ad populum conversus cantet hymni sequentia verba:

### TANTUM ERGO SACRAMENTUM.

Chorus reliquum versiculi prosequatur, dein iterum Officiator cantet

### GENITORI GENITOQUE.

Et dum chorus prosequendo verba canit (sit et benedictio) Officiator cum Sacramento formet super populum unicum signum crucis nihil dicendo: postea genuflexus incenset, et his peractis Ostensorium cum sanctissimo Sacramento in suum tabernaculum collocetur.

Si in Missa ante Evangelium datur benedictio, tunc Officiator stans versus populum cum venerabili Sacramento intonet:



Ultimo versu intonato statim datur Benedictio nihil dicendo.



## A D D I T A M E N T U M.



TE DE UM LAU DA MUS.


V. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu.

R. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

## O r e m u s.


**D**eus, cujus misericórdiæ non est númerus, et bonitátis infinitus est thesáurus: piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; ut qui peténtibus postuláta concédís, eósdem non déserens, ad præmia futúra dispónas. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.



VE NI SANC TE SPI RI TUS.

V e l



VE NI CRE A TOR SPI RI TUS.

V. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.

R. Et renovábis fáciem terræ.

## O r e m u s.

**D**eus, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuisti: da nobis in eúdem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

**Initium sancti Euangelii secundum Joannem.**

**In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumi-**

**ne. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis.**

## **Ad postulandam gratiam sancti Spiritus.**

**Veni sancte Spiritus, et emitte cœlitus lucis tuæ radium.**

**Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.**

**Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.**

**In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.**

**O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium.**

**Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.**

**Lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.**

**Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est**

**devium.**

**Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium.**

**Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perennegaudium. Amen.**

**V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:**

**R. Et renovabis Faciem terræ. Oremus:**

**Deus, qui corda Fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: Da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen. V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. R. Amen.**

## Pro gratiarum actione.

**TE DEUM LAUDAMUS:**  
te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra  
veneratur.

Tibi omnes Angeli, tibi cœli, et  
universæ potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim,  
incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Do-  
minus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli et terra majes-  
tatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum cho-  
rus.

Te Prophetarum laudabilis nu-  
merus.

Te Martyrum candidatus laudat  
exercitus.

Te per orbem terrarum sancta  
confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ majestatis.

Venerandum tuum verum et  
unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spi-  
ritum.

Tu Rex gloriæ, Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus  
hominem, non horruisti Virginis  
uterum.

Tu, devicto mortis aculeo, a-  
peruisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes, in  
gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Sequens versus flexis dicitur genibus.

Te ergo quæsumus, tuis famu-

lis sudveni, quos pretioso sanguine  
redemisti.

Sequentia sacerdos stans dicit.

Aeterna fac cum sanctis tuis in  
gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Do-  
mine: et benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos: et extolle illos  
usque in æternum.

Per singulos dies benedicimus  
te.

Et laudamus nomen tuum in  
sæculum, et in sæculum sæculi.

Dignare, Domine, die isto sine  
peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine: mi-  
serere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine,  
super nos, quemadmodum speravi-  
mus in te.

In te, Domine, speravi: non con-  
fundar in æternum.

V. Benedicamus Patrem, et Fi-  
lium, cum sancto Spiritu:

R. Laudemus et superexaltemus  
eum in sæcula.

Oremus:

Deus, cujus misericordiæ non  
est numerus, et bonitatis infinitus  
est thesaurus: piissimæ majestati  
tuæ pro collatis donis gratias agi-  
mus, tuam semper clementiam ex-  
orantes: ut qui petentibus postu-  
lata concedis, eosdem non deser-  
ens, ad præmia futura disponas. Per  
Christum Dominum nostrum. R.  
Amen.

# In Hebdomada sancta.

## In Parasceve.

Facta Communionem Celebrans Venerabile ad sepulchrum defert, et ibidem deposito et ter incensato, a duobus Assistentibus canitur Versus, a Celebrante vero Collecta in tono feriali :

**V. In pace factus est locus ejus ;  
R. Et in Sion habitatio ejus.**

**Oremus :**

**Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum.**

**Secreto :**

**Qni tecum vivit etc.**

## In Sabbato Sancto. Ad Missam.

Post Sumptionem Sacramenti, pro Vesperis in Choro cantatur Antiphona :

**Alleluja, alleluja, alleluja.**

**Ps: 116.**

**Laudate Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi.**

**Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : et veritas Domini manet in æternum.**

**Gloria Patri etc :**

**Antiph : Alleluja, alleluja, alleluja.**

Et Celebrans statim in cantu incipit Antiphonam ad Magnificat :

**Vespere autem Sabbati, et prosequitur Chorus :  
quæ lucescit in prima Sabbati :  
venit Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulchrum, alleluja.**

Canticum B. V. Mariæ. Lucæ 1. c.

**Magnificat: anima mea Dominum.**

**Et exultavit spiritus meus : in Deo salutari meo.**

**Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.**

**Quia fecit mihi magna, qui potens est : et sanctum nomen ejus.**

**Et misericordia ejus a progenie in progenies : timentibus eum.**

**Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui.**

**Deposuit potentes de sede : et exaltavit humiles.**

**Esurientes implevit bonis : et divites dimisit inanes.**

**Suscepit Israel puerum suum : recordatus misericordiæ suæ.**

**Sicut locutus est ad patres nostros : Abraham, et semini ejus in sæcula.**

**Gloria Patri etc.**

Nunc fit incensatio altaris, ut alias in Vesperis. Qua facta repetitur Antiphona :

**Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati : venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulchrum, alleluja.**

Celebrans dicit : **Dominus vobiscum** et reliqua, ut in Missali.

## Ad celebrationem Resurrectionis.

Celebrans cum ministris in silentio vadit ad Sepulchrum, ubi genibus flexis recitant :

**Psalmum 56.**

Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo: donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum: Deum, qui benefecit mihi.

Misit de cœlo et liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam, et veritatem suam: et eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus.

Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ: et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cœlos Deus: et in omenem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: et inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, et psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara: exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine: et psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad coelos misericordia tua: et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus: et

super omnem terram gloria tua.

Gloria Patri etc.

V. Kyrie eleison etc. Pater noster

Et ne nos inducas in tentationem:

R. Sed libera nos a malo.

V. In resurrectione tua, Christe, Alleluja:

R. Cœlum et terra lætentur, Alleluja.

V. Domine, exaudi orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum:

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus:

Deus, qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ Resurrectionis illustras: conserva in nobis adoptionis Spiritum, quem dedisti; ut corpore et mente renovati, puram tibi exhibeamus servitutem.

Gregem tuum, Pastor bone, placatus intende: et oves, quas pretioso sanguine redemisti, diabolica non sinas incursione lacerari. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. R. Amen.

Stans imponit incensum, genuflexus incensat, tandem surgit, et accepto Venerabili, canit: Christus ist erstanden. Cum perverit ad altare majus et posuerit ibidem Venerabile, intonat hymnum:

Te Deum laudamus.

Quo finito canitur:

**V. Surrexit Dominus de sepulchro, Alleluja.**

**R. Qui pro nobis pependit in ligno, Alleluja.**

**Oremus :**

**Deus, qui nos Resurrectionis Dominicæ annua solennitate lætificas : concede propitius : ut per temporalia festa, quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. R. Amen.**

**Et Celebrans statim sequentem inchoat Antiphonam :**

**REGINA COELI, lætare, alleluja,**

**Quia, quem meruisti portare, alleluja,**

**Resurrexit, sicut dixit, alleluja :  
Ora pro nobis Deum, alleluja.**

**V. Gaude et lætare, Virgo Maria, alleluja.**

**R. Quia surrexit Dominus vere, alleluja.**

**Oremus :**

**Deus, qui per Resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum lætificare dignatus es : præsta, quæsumus; ut per ejus Genitricem Virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Christum Dominum nostrum. R. Amen.**

**V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.**

**R. Amen.**

